

IOANNIS AVRELII

AVGVRELLI

P. Ariminensis

CHRYSOPOEIAE

LIBRI III.

ET

GERONTICON

LIBER I.



ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini,

M. D. LXXXII.

I O. F R O B E N I V S

LECTORIBVS GAVDERE.



ARISTOTELES philosophus non perinde sanctus ac doctus, in numerum bonorum καὶ τὰ τῆς τέχνης ἀγαθὰ recepit. nam sine hiis negat τὴν εὐδαιμονίαν constare posse.

Quæ res sic Christianis arridet, à quibus prorsus reiicienda erat, vt contempta **C H R I S T I** doctrina cunctis libeat ἀπίστω λίσσω. Voluit **C H R I S T V S** studium diuitiarum suis eximere, cum nudos esse iuberet, voluit mundana possideri tanquam à non possidentibus, voluit inter suos esse benignam quandam rerum omnium communionem. At hodie videmus passim nõ prophanos modò, sed & peculiariter Deo dicatos, omnia miscere sursum ac deorsum pecuniæ gratia. Quas non tragedias superioribus annis expertus est mundus, dum principes inter se cruentissimis bellis conflictarentur, ob augendum pecuniæ prouentum? nam in hoc tantum ditionis pomœria proferre libet. Quis non quorundam technas miretur, huc modò respicientium, vt belli prætextu ipsi interim & se et suos affatim locupletent? Adeo nos à recta via transfuersos rapit vnus Aristotelis philosophi, primùm gentilis, deinde palàm

IOANNIS AVRELI
AVGVRELLI CHRYSO-

POEIA AD LEONEM X.

PONTIFICEM MAXIMUM.



VRIFERAM paruis animi pro viribus artem
Quasitam nobis, & longo tempore partam,
Vt rerū inuolucris tantarum euoluere moles
Se potuit, claro perhibentes carmine nuper
Lusimus, & Musis hanc commendauimus almis,
Quod nulli ex omni numero fecere priores.
Cūmque operi autorem, cuius sub nomine tutum
Pergeret, optarem; foret & res praeside digna.
Ipsa ex se magno, variāque hinc mente tenerer,
Cui merito cuncta haec, & non ingrata dicarem:
Interea nobis tute velut aethere ab alto
Missus ades mundi fessis succurrere rebus,
Qui belli scelerūque faces, incendia tanta
Extinguas; placidamque piis sperare quietem
Des populis, solidāque per aurea secula pacem.
Cuiue etiam, si parua licet componere magnis,
Ad sanctos haec nostra pedes ars aurea tendat.
Vt quo te fidei sacrae nunc cœtus honore
Prosequitur cunctus, hoc te veneretur, & omni
Ipsa tuum pro me cultus sic numen adoret.
Hanc igitur, si non immensa negocia prorsus
Impediunt, permittite, precor, se prodere tantum,
Quo tibi, detracto veluti velamine virgo
Nobilis ingenuo vultum persusa rubore,
Occultum incipiat semel ostentare decorem.

IOANNIS AVRELI

AVGVRELLI AD PETRVM

LIPOMANVM HIERONYMI F.

Venetum P. GERONTICON

LIBER I.



VNT cordi *Musa* nobis, sunt carmina cura;
 Cetera, qua vacuã tenuissent gaudia mētem,
 Omnia nunc semota: refert hac una voluptas
 Quicquid dulce olim sensu percepimus omni.

His ergo hanc grati secretam ponimus aram:

Hic Hedera & Lauri, nec non & amœna vireta

Apricos inter colles, hic Myrtea sylua,

Et Veneri sacer est lucus, nec grata Lyeo

Mitis abest pendet que spissis vna racemis.

In primis sternenda mihi est auro area multo;

Tum cœpta è solido surgent Adamante columna:

Queis altè supra impositum consistere tectum

Instituam gemmis ornatum grandibus, at que

Æternis densi vincitum compagibus aris;

Iam quibus inter se nexis non vlla vetustas

Offuerit, quamquam validis conatibus obstet.

Stabunt in medio diuæ, templumq; tenebunt,

His ego dehinc cœtu Vatum comitatus honesto

Dona feram, non que vulgo consueuimus illis

Offerre, at rerum prorsus rarissima queque

Nobilium, quales tantum seponere summi

Electas omni è numero potuere Poëta.

Túque ades ô gentis Lipomana digna propago,

Et rara iuuenis virtute ac moribus aucte